UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Sanguis

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

…parumper fuerint deſides, in præceps feruntur. Via enim …anguſtior, & directior, nec non & periculoſior, quam funis …multo ſublimior. *Ibid.*

…*broſii.* Sapientes ſe arbitrantur, qui rationes phyſicas in… ſe putant, ſcrutantes curſus ſiderum, & qualitates elemen… Dominum autem horum ſpernentes, ideo ſtulti ſunt, quum …landa ſint: quanto magis creator illorum? ſolent tamen …m paſſi, neglecto Deo, miſera vti excuſatioe, ac dicere. per …ſe ire ad Deum, ſicut per omnes peruenitur ad regem. Age, …dam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, vt ho… …tiam regis vendicet comiti? quum de hac re, ſi qui etiam …fuerint inuenti, iure vt rei damnantur maieſtatis: & iſti ſe …reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ: re… Domino, conſeruos adorant, quaſi ſit aliquid plus, quod ſer… Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos & comites itur, …omo vtique eſt res, & neſcit, quibus debeat Rempublicam … Ad Dominum autem. quem vtique nihil latet (omnium …merita nouit) ad promerendum ſuffragatorem non eſt opus, …mente deuota. *In epiſt. ad Rom.*

…*ſoſtomi.* Vt parum prudentes virgines erant, quæ potius à coæ… …ementibus, quam parantibus expectabant oleum: Sic qui …precibus poſt mortem fidunt, atq; interim ipſi Deo nihil …faciunt. *In apoph 42.*

…erſæ ſunt ad virtutem viæ, ſiquidem & margaritæ inter ſe …plurimum, vel ſi omnes idem ſint nomen ſortitæ, tamen …gentior eſt, & rotunda, illa vero haud parem habet decorem, …quendam & varium. Quemadmodum coralium artificio …productas in longum lineas aliquando habet; circumci… …angulos & expolitos, coloremque à candido etſi diuerſum, …tamen delectabiliorem, viridis etiam iniectus color, præter …viriditatem iuuat. Idem & flos quidam coniunctum ha… …innata fragrantia, & ſanguinis colorem; & iſtiuſmodi, ali… …, qui glaucus fuerit, glaucitate ipſa mare vincit, aliis erit …propria quadam exercitatione & induſtria ſibiipſis, plerique …cleſiæ profuere. *Homil. 20. de diuerſis.*

…*ſeni.* Sicuti cœli luminaria ac ſidera in firmamento cœli à …collocata, cunctis indeſinenter, quæ ſub cœlo ſunt, fulgent, …omnibus, quæ ſuper terram ſunt, per tempora ac tempora, …erationes & generationes, mirabiliter relucent: alia qui… …per noctem, vt luna & ſtellæ: alia nihilominus per diem, vt …ſpecioſiſſimi radii: Sic & ſanctorum virtutis inſignia, atque be… …corum agones, omnibus in perpetuum ſingulariter ful… …omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus …pietatis exemplum oſtendunt. Quod autem ſideribus atque …ribus comparentur omnes ſancti, demonſtrat Apoſtolus, … Stella differt à ſtella in claritate: ſic erit & reſurrectio mor… …, procul dubio ſanctorum. Sed & angelus ad Danielem: …effulgebunt vt luminaria cœli, & tanquam ſol & luna, …quam ſtellæ in ſecula. Sic itaque effulgent atque emicant o… …ſancti, non ſolum in tempore reſtitutionis, ſed & nunc in …re huius præſentis ſeculi. Alius fide fulget, vt Abraham: ali… …itate, vt Ioſeph: nihilominus manſuetudine, vt homo Dei …, item vero alius conſtantia atque tolerantia vehementium …um, vt admirabilis Iob. *Homil 1. in Iob.*

…*Auguſtini.* Sic abſcondita eſt apud Deum vita ſanctorum, vt …modo laborant in terra, quaſi tempore hyemis arbores non ha… …fructum & folia, illo apparente tanquam nouo ſole exorto, …quod in radice viuebat, in fructibus appareat, licet caſtiget, …: amat iudicium, non derelinquet ſanctos ſuos. *in Pſ. 36.*

…*Cypriani.* Sicut modica aquæ gutta multo vino infuſa à ſe to… …, vinique ſaporem & colorem induit: ferrum candens pri… …propriaque forma exuitur, & igni ſimillimum efficitur: ſolis …perfuſus, in eandem transformatur luminis claritatem: …ſpeculum radiis ſolaribus directe irradiatum, ſolis in ſe recipit …tudinem, idque putares alterum eſſe ſolem: Ita etiam beati, …charitate, in intimis ſui totaliter penetrantur, ſicque Deifor… …effecti, in Dei ſimilitudinem transformantur. *De ſingular* …

Sanguis.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SAnguis eſt humor calidus, & humidus, nutrimentum in ha…bentibus ſanguinem exiſtens. Græc. αἷμα: Hebr. *Dam*, ſanguis color ſanguineus, reatus ſanguinis, Cognationem habet cum *Alem.* ſubrufus fuit: ſanguis enim colorem ſubrufum refert. Lat. Damno, i. e. reum ſanguinis iudico.

¶ BIBLICI LOCI.

Sanguis pro homine occiſo, *Ioſ.* 20.5. pro cædis cauſa, *Luc.* 20.9. *Ioſ.* 2.19. *Iudic.* 9.24. 2. *Sam.* 1.16. 1. *Reg.* 2.38. *Ezech.* 18.13. & 32.4. *Actor.* 18.6. quibus in locis ſanguinis appellatione cum cædis tum omne exitii genus intelligitur, vnde eſt illa acclamatio Iudæorum, *Matt.* 27.25. cuius ſenſus eſt: ſi quid peccabitur in eo occidendo, nos & poſteritas noſtra pœnas luamus. Eadem formula ſpecies quædam obteſtationis eſt apud Lucam, *Actorum* 18.6. quaſi dicat Paulus; video vos in perniciem veſtram ruere: ego igitur hic Deum coram vobis teſtor, non me, ſed vos vobis ipſis cauſam eſſe exitii, vt & Dauid loquitur, 2. *Samuel.* 1.16. pro cæde, 1. *Reg.* 2.5. 2. *Reg.* 9.7. *Pſalm.* 116.38. *Eſa.* 1.15. & 9.5. & 26.21. & 33.15. *Ezech.* 2 5.17. & 14.19. *Oſeæ.* 1.4. & 2.4. *Mich.* 7.2. *Abac.* 2. *Verſ.* 8.12. pro ſuppliciis capitalibus, *Pſalm.* 51.16. pro impura naſcentis hominis origine, *Ioan.* 1.13. pro cognatione, *Actorum* 17.26. præterea ſanguinis & carnis appellatione, in ſcriptura ſacra interdum intelligitur ſolum corpus, idque nudum, ſed cum infirmitate adiuncta, 1. *Corinth.* 15.50. vt apparet ex eo, quod ſubiicitur de corruptione: interdum vero totus homo, corpore & anima conſtans, quatenus eſt corruptus peccato, *Matth.* 16.17. *Gal.* 1.16. ſanguis omnis bruti anima eſt, *Leu.* 17. *verſ.* 11.14. ſanguis innoxius, ex Hebræorum idiotiſmo, dicitur homo inſons, *Matth.* 27.4. ſanguis innoxius ad Deum clamare dicitur, *Geneſ.* 4.10. 4. *Eſd.* 15.8. *Hebr.* 12.4. *Apocalip.* 6.10. ſanguis iuſtus cum venire ſuper caput aliquorum dicitur, nihil aliud eſt, quam reos & obnoxios eſſe, vel in caput eorum redundare ſanguinem iuſtum, *Matth.* 23.35. ſanguis non comedendus ante Meſſiæ regnum, *Geneſ.* 9.4. *Leu.* 3.17. & 7.26. & 17.10. & 19.26. *Deut.* 12. *Verſ.* 16.23. & 15.23. 1. *Sam.* 14.32. eius vſus Chriſti aduentu conceſſus, propter fratrum infirmitatem ad tempus prohibetur, *Actorum* 15. *verſ.* 20.29. & 21.25. ſanguis Achab à canibus lingitur, 1. *Reg.* 22.38. ſanguis fœderis, *Exod.* 24.3. *Heb.* 9.20. ſanguis & aqua è Chriſti latere fluunt, *Ioan.* 19.34.

Sanguinis conſperſio, *Exod.* 24.6. & 29.20. *Leu.* 1. *v.* 5.11. & 3. *V.* 2.8.13. & 4. *v.* 6.16. & 7.2. & 8. *V.* 19.30. & 9.18. & 16. *v.* 14.18. & 17.6. 2. *Paral.* 30.16.16. *Ezech.* 43.20. *Heb.* 9. *V.* 13.14.19.21.22. ſanguinis Chriſti conſperſio, *Heb.* 9.14. & 10.19. & 12.24. 1. *Petr.* 1.2. ſanguinis innocentis effuſio, *Deut.* 19. *V.* 5.11. & 27.24. 2. *Sam.* 20.9. 1. *Reg.* 21.13. 2. *Reg.* 21.16. & 24.4. 2. *Paral.* 22. *Prouerb.* 6.17. & 28.17. *Eſa* 26.2. *Ierem.* 7.6. & …3. *Ezech.* 22.4. 4. *Eſdr.* 1.32. *Matth.* 23.54. *Luc.* 11.50. *Apocalip.* 6.10. & 8.24. clamat vindictam coram Deo, *Geneſ.* 4.10. 4. *Eſdr.* 15.8. *Heb.* 12.24. *Apoc.* 6.19. ſanguinis fluxus ſiſtitur, *Matth.* 9.20.

Sanguine Chriſti empti ſumus, 1. *Cor.* 6.20. & 7.23. *Actor.* 20.28. 1. *Pet.* 1.18. *Apoc.* 5.9.

¶ SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Sanguis eſt calidus & humidus. *Pet. de Aluer. de long. & breu. vitæ, lib.* 3.

Sanguis ſi integer eſt, ruber, & dulcis ſaporis eſt, ſed ſi natura, vel morbo fuerit vitiatus, atrior eſt: nec admodum craſſus, nec tenuis, qui optimus eſt, humidus & calidus ſemper eſt, quamdiu in corpore animalis continetur, at vbi effluxerit, concreſcit: excepto ceruorum, & damarum, & ſi quid aliud eſt huiuſcemodi. *Ariſt. hiſt. anim.* 3. *c.* 18.

Sanguis in iuuenili ætate ſaniem trahit, & largior eſt: in ſenectute craſſus, niger & paucus: in media medium tenet. *Ariſtot. hiſt. anim.* 3. *c.* 10.

Sanguis naturalis alius eſt, alius innaturalis: Naturalis in homine bonæ complexionis ſanguis eſt rubeus, ſapor valde dulcis, boni odoris, & humidi exiſtens: & ille varius eſt ratione ætatum, & locorum namque Cholerici rubeum, incenſum, inflammatum, ſiccum, odoris & ſaporis acuti, & ſpumoſum, gracilis ſpumæ ſanguinem habent: Phlegmatici pallidum, aqueum, inſipidum: Melancholici nigrum, ſpiſſum & terreſtrem. *Albert. Mag. de anim. lib* 3. *tract.* 2. *c.* 2.

Sanguis innaturalis eſt, qui à naturali diſpoſitione eſt mutatus, tam in colore, quam in ſapore & odore: & hoc duobus contingit modis, ex ſe ipſo ſolo, & ex alio remouente, cum propter miſtionem à diſpoſitione naturali. Ex ſe, cum aliqua qualitate actiua, vel paſſiua impeditur à diſpoſitione naturali: ex alio humore dupliciter remouetur ſanguis à naturali diſpoſitione, quia humor alienus, vel à ſanguine generatur, vel ab alio. Vnde in ipſum ſanguinem intrat, & vtrumque vel ad phlegma, vel ad choleram, vel ad melancholiam inclinare incipit: ſi ad phlegma, fit aquoſus, ſi ad choleram, fit aliquantulum turbidus, ſi ad melancholiam, fœtidus. *Alb. Mag de anim. l.* 3. *tract.* 2. *c.* 3.

Sanguinis boni cauſa efficiens eſt calor naturalis digeſtiuus ſecundum proportionem, materialis cauſa eſt id, quod de cibis & potibus nutrientibus eſt temperatum: formalis eſt digeſtio conueniens: finalis nutrire corpus. *Alb. Magn. de anim. l.* 3. *tract.* 2. *c.* 4.

Sanguis eſt calidus per ſe, ſed forte per accidens efficitur magni & intenſi caloris. *Idem de anim. l.* 12. *tract.* 1. *c.* 3.

Sanguis fœminæ eſt ſpiſſior & nigrior, propter frigiditatem maiorem, quam ſit ſanguis maris, ambobus in bona diſpoſitione conſtitutis. *Alb. Mag. de anim. l.* 3. *tract.* 1. *c.* 6.

Sanguis in infante eſt tenuis, & aquoſus, in iuuene eſt acutioris caliditatis : in ætate virili eſt conſtans bonæ diſpoſitionis : & in omnibus his ætatibus eſt multus ſanguis; in ſe autem paucus, ſpiſſus & niger. *Idem, ibid.*

Sanguis tactum nullum in genere ſentit, vt excrementa in aluo contenta ſenſu carere certum eſt. *Ariſt. hiſt. an. 3. c. 17.*

Sanguis copia in primis animalibus his eſt, quæ animal & intra ſe formant, & in lucem edunt, mox iis ſanguineis, quæ oua pariunt. *Idem, ibid.*

Sanguis omnium animalium palpitat inter venas, pulſuſq; ſimul vndiq; mouetur ſolus omnium humorum ſparſus per totum corpus animalium, & ſemper quandiu animas feruet. *Ibid. c. 19.*

Sanguis facile in corpore concreſcit ſentibus, quod non venit iuuenibus. *Idem, ibid.*

Sanguis tactu calidior eſt, quam aqua, aut oleum eſt, ſed celerius congelaſcit. *De part. an. 2. c. 1.*

Sanguis taurorum omnium celerrime coit & dureſcit, ſed ſi fibras detraxeris, ſanguis non coit. *Ibid. c. 4.*

Sanguis materiæ rationem obtinet, ſemen vero cauſæ affectiuæ. *Io. Gram. in 2. de gener. & corr. tex. 58 cor. 47.*

Sanguinem menſtruum habere virtutem generatiuam, ait. *Ariſt quod & Galen. concedit. Aue. 1. de gener. an. c. 20.*

Sanguis fluxus ab hæmorrhoidis eſt innaturalis, propter connaturalitatem tamen ſanguis ad ſperma raro nocturno ſomno polluntur, & parum ſpermatizant, qiubus fluunt hæmorrrhoide. *Alb. Mag. de an. l. 15 tr. 2. c. 7.*

Sanguinem habere, & non habere, non eſt cauſa longioris, vel breuioris vitæ. *Idem de mor. & vit. tr. 2. c. 5.*

Sanguine è naribus fluente nonnullis aquam frigidam in faciem fundimus, quia calor ita intus ſe colligit, & circum obſiſtit, quod ſanguinem ſuum reddit liquidiorem. *Ariſt. prob. ſec. 33. n. 6.*

Sanguinis humor ſeroſus mitis eſt. *Plat. in Tim.*

Sanguis ſpiritui ſeruit, ſpiritus ſenſibus, ſenſus rationi, & fit ſanguis à virtute naturali, quæ in iecinore & ſtomacho viget. *Fic. de ſtud. ſan. tuend. l. 1. c. 2.*

Sanguis purus extrahitur oriente ſole, cholericus in meridie, melancholicus in occaſum, phlegmaticus in medio noctis, prius poſito clyſtere, ſumpta die præcedenti aliqua medicina non ſolitiua : & Galenus & Auicenna quanto magis exercuere medicinam, tanta ſemer timidiores circa phlebotomiam ſunt facti, quia plus trahit phlebotomia ex naturali & bono, & ex ſpiritibus, quam ipſa medicina, & minus temporis concedit ad diſcernendum malum ſanguinem à bono. *Fic. in epid. antid. c. 6.*

Sanguis in ſe neceſſario habere debet pituitam, bilem, & atram bilem, tum ad ipſius temperamentum, tum ad membrorum his ſimilium nutrimentum. *Fic. in Plat. Tim. c. 8. 7.*

Sanitas.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

SAnitas, bona valetudo, i. e. ſtatus corporis actiones ſuas probe obeuntis : Græc. ὑγεία : Hebr. *Rephuah, Riphuth, Marpe*, id eſt, medicina, remedium, ſanitas, medela, à verbo *Rapha*, ſanauit, medicatus eſt, curauit morbum. Cognationem habet cum *Rapha*, remiſit, nam curando & ſanando morbus fit remiſſior. Φαρμακεύω, medeor.

¶ BIBLICI LOCI.

Sanat Deus animas, *Deut.* 32. 39. *Iob.* 5. 18. *Pſalm.* 103. 3. & 147. 3. *Prou.* 28. 25 *Eſa.* 6. 10. & 19. 22. & 30. 26. & 57. 18. 19. *Ierem* 3. 22. & 17. 14. & 30. 17. *Oſe.* 6. 2. & 14. 5. *Matth.* 13. 15. *Ioan.* 12. 40. *Act.* 28. 27.

Sanat corpora, *Gen.* 20. 17. *Num.* 13 2. *Reg.* 5. 8. *Pſal.* 10. 3. 3. & 107. 20. Sanat aquas, 2. *Reg.* 2. 21. Sanat terram, 2. *Chron.* 7. 14. *Pſalm.* 60. 4.

Sanat Chriſtus animas, *Eſa.* 53. 5. *Luc.* 4. 18. 1. *Pet.* 2. 24. Et corpora, *Matth.* 4. 23 & 21 4 *Marc.* 3. 10 P. *Luc.* 6. 19. 11 *Act.* 9. 34.

Aquæ myſticæ ſanatæ, *Ezech.* 47. 8. 9.

Sanitas corporis, *Pſalm.* 38, 4 *Prou.* 14. 30 & 16. 24 *Matth.* 12. 13, 1. *Cor.* 12, 9.

Senitas ſpiritualis, Salus : *Prou.* 3. 8 & 12. 18 & 13, 17 *Eſa.* 1, 6 & 58, 8 *Ierem.* 14, 19 & 31, 6 & 46 11 *Malach.* 4, 2 *Apoc.* 22. 2.

Sanitas pro priſtinæ conditionis, dignitatis & roboris amplitudine, *Ezech.* 30. 21.

¶ SENTENTIAE POETICAE.

Sen. Hipp. Act. 1.

Precor furorem ſi te, teque ipſam adiuua.
Pars ſanitas, velle ſanari fuit.

Ouid. de Liu, de morte filii.

Heu mihi : quam facile eſt, quamuis hoc contigit, omnes,
Alterius luctu fortia verba loqui.

Ter. Heaut. 15.

Nonne id flagitium eſt, te aliis conſilium dare.
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?

Idem Andr. 2. 1.

Facile omnes, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus.
Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.

Horat. 1. Epiſt. 2.

Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibuſque tuis : nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

¶ SENTENTIAE PHILOSOPHORVM.

Dignitate, & tempore ſanitas morbum præcedit, eſſe autem oſtendimus, ſimilarium, quas vocant, partium ſanitatem, calidi, frigidi, humidi & ſicci ſymmetriam, id eſt, conuenientiam inter ſe quandam eſſe : inſtrumentalium vero ſimilarium ipſarum compoſitione, numero, magnitudine, figuraq; conſtare.

Primum ad præſentium contemplationem pro hypotheſi præſumptum eſto : ſanitatem non eſſe abſolute elementorum, ex quibus conſtamus temperamentum (quam ſymmetriam appellant, quemadmodum omnibus fere, qui ante nos ſcripſerunt, viſum eſt) ſed eam duntaxat, quæ ſimilarium eſt partium. *Deinde* inſtrumentalium ſanitatem in figura, numero, magnitudine, ac compoſitione ſimilarum conſiſtere. *Tertio*, functionibus ſecundum naturam obeundis ſanitatis habitum diſcerni. *Poſtremo* ſanitatem quandam optimam eſſe, & (vt ſic dicam) conſummatam, atque ſummam quandam, ceu deficientem ab hac, nec plane abſolutam perfectamve, atque hanc etiam latitudinem habere non paruam. *Galen. de ſanitate tuenda, l. 1.*

Sanus homo, & qui bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neq; medico, neq; alipta agere : hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in vrbe ſæpiuſque in agro, nauigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentius ſe exercere : ſiquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat : illa maturam ſenectam, his longam adoleſcentiam reddit, prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis vti, modo vngi, modo idipſum negligere : nullum cibi genus fugere, quo populus vtatur, &c. *Cornel. Celſ. l. 1. c. 1.*

Sanitas autem non conſiſtit in indiuiſibili : id apparet primo in ducentibus in diuerſa membra, quorum non eſt eadem ſanitas, cum conſtet habere diuerſas ſanitates, quod rationi etiam conuenit, eo quo habent diuerſas operationes, quæ omnia arguunt diuerſam ſanitatem. *Galenus tertio de Morbo.* Siquidem ſanitas diſpoſitio factiua actus, atque hoc idem patet in conſideratione diuerſarum ætatum.

Alcmæon aſſerebat, continentem ſanitatis cauſam in æqualitate facultatum ineſſe, nempe humidi, ſicci, calidi, dulcis, & ceterorum. Vna autem eſt ipſis præpollente, morbum fieri.

Sanitas eſt vna bona diſpoſitio corporis humani, per quam agit vel patitur actionem vel paſſionem ei debitam ſecundum naturam abſque notabili læſione : atque hæc diſpoſitio eſt primum in membris homogeneis, vt in oſſe, & carne, & conſimilibus, & eſt commenſuratio in quatuor primis qualitatibus, puta in calido, frigido, humido & ſicco : ſecundo eſt in membris heterogeneis, ſeu officialibus, puta in manu, pede, cerebro & corde. *Magnus medicus Mediolanenſis author eſt.*

Nihil ſalubre eſt, niſi quod toto anno ſalubre eſt. *Plinius lib. 18.*

Animalia omnia noſcunt ſibi ſalutaria, præter hominem. Sanitatis argumentum placidi mores. *Idem l. 27.*

Optimum bene valere : ſecundum, formoſum eſſe : tertium, diuitias habere nulla fraude quæſitas.

Bona valetudo maxime diuinum, ſuauiſſimumque eſt condimentum.

Pauca voluptati debentur, multa ſanitati.

In vniuerſum præcox effugiatur Venus, ſi ſanitate ſecunda frui exoptes.

Corpus requirit, ne famem, ne ſitim, ne frigus patiatur. *Aeſchines Pythagoricus.*

Τὴν ὑγείαν, ἥδυς μακαριώτατον εἶναι καὶ προσηνέστατον.

Sanitatem, ait, maxime diuinum longeque blandiſſimum eſſe condimentum. *Plut. in ſalubribus præceptis.*

Expendere non oportet, num recens ſit piſcis, num purus panis, num caleat balneum, num formoſum ſcortum : ſed ſeipſum quis conſideret, faſtidioſuſne ſit, aut parum tranquillus aut marcidus, aut perturbatus. Quod ni fiat, non ſecus ac ſi comeſſatores ebrii in ædes irrumpant luctu funeſtas : nihil hilaritatis neque voluptatis ſint allaturi, quin eiulatum potius excitant : ſic etiam Venus, obſonia, balnea, vinum, ſiquidem in corpore male præterque naturam affecto miſceantur, his etiam humoribus qui non certum vitium, aut corruptionem accceperunt, phlegma bilemque mouent, exagitant, magis ac magis excitant. Igitur exacta quidem illa, & vehementer ad vnguem, vt dici ſolet, obſeruata vitæ ratio, ſimul & corpus formidoloſum reddit, ac periculis obnoxium, & animi frangit vigorem & alacritatem, dum omnia negotia refugit, dumque non audet, nec in voluptatibus nec in laboribus verſari, cum omnem rerum adminiſtrationem ſuſpectam habet, nec quidquam confidenter & intrepide aggreditur. Verum oportebit corpus non aliter quam naturæ velum neque contrahere ſereno cœlo, neque vehementer premere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN